

Behauptungen zurück und zeigte, daß die im „Schlüssel“ Melitos enthaltenen Erklärungen im großen und ganzen die traditionelle alte Symbolik enthalten, selbst wenn man beweisen könnte, daß das eine oder andere Symbol später hinzugefügt worden sei.

Das *Spicilegium* und die *Analecta* enthalten somit äußerst wertvolle Schriftstücke und haben Dom Pitra einen hervorragenden Platz unter den christlichen Gelehrten verschafft. Es ist nur zu bedauern, daß diese Werke von so wenigen Katholiken gelesen werden, während die protestantischen Engländer dieselben häufiger studieren.

(Fortsetzung folgt im nächsten Jahrgange.)

## De peculio religiosorum.

Dissertatio canonico-historica.

Auctore P. Lamberto Kober, O. Cist.

(Continuatio ad fasc. II. 1907, pg. 288—299.)

### Caput VIII.

#### De iuridica peculii licitate post Concilium Tridentinum.

Haec quoad causas, quae post Concilium Tridentinum peculii usus ansam dederunt. Quaestio vero palmaris obque momentum simul practicum in hac epocha gravioris momenti ac in superiore etiam hic est, quomodo ecclesia hanc praxim exceperit, aliis verbis: quaeritur, num et quatenus post Concilium Tridentinum iuridice licitum sit peculium monasticum.

Ad hanc quaestionem, quam perspicuitatis causa primo solum usque ad aetatem Benedicti XIV perducimus, rite ut respondeatur mensque ecclesiae probe ut cognoscatur, praecipua documenta prodeant nunc simpliciter audienda, explicanda, quantum opus erit, postea.

Anno 1586 episcopus quidam Indiae ex S. Congregatione Concilii quaesivit „An moniales privatim possint habere aliquos redditus pecuniarum sive aliquos census relictos et legatos ab aliquibus consanguineis vel aliis personis pro earum subventionem. S. Congregatio respondit non posse, sed omnia ad manus abbatissae deferri oportere, quae imprimis illius monialis necessitatibus debeat providere.“<sup>1)</sup>

Eodem adhuc saeculo aevi Concilii Tridentini decretum prodiit in nostra materia celeberrimum, constitutio nimirum

<sup>1)</sup> Bened. XIV. De synodo dioec. L. 13, c. 12, n. 10.

Clementis VIII „Nullus omnino“ die 25 iunii 1599<sup>1)</sup>, quo quodvis peculium severe esse prohibitum clare ostendunt verba: „Quo Concilii Tridentini decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, praecipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi superior sit, bona immobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus sive ex lectionibus aut promissis tam in propria ecclesia quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore et causa et quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum aut piorum legationes, legata aut donationes fuerint, tamquam propria aut nomine etiam conventus possidere possit; sed ea omnia statim superiori tradantur et conventui incorporentur atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit.“ Mobilium usum suis subditis permittendum Concilium Tridentinum superioribus regularibus concessit: Clemens VIII etiam hoc prohibuit: „Nulla quorumcumque superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bonæ immobilia vel mobilia fratres excusare possit, quominus culpae et poenae ab eiusdem Concilii decreto impositae et ipso facto incurrendae obnoxii sint.“ Quodsi pariter peculium compatibile decreto Tridentino abrogatum esse non posse demonstrari supra diximus, iam cedere debemus huic constitutioni: „Quaecumque fratrum vestes sive laneae omnisque alia suppellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur ibique ab uno vel duobus fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, ut inde superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportune possint.“

Constitutionis Clementinae prohibitionem redolet responsum S. Congregationis Conc. in causa Vallisoletana 1601. „Regularibus sive viris sive mulieribus non licere quidpiam proprium possidere, sed quidquid acquisiverint et ex donatione, eleemosyna, a parentibus vel aliunde obtinuerint, recta ad manus superioris esse deferendum, qui prius prospicere debet necessitatibus illius, cuius opera vel contemplatione partum fuerit, et reliquum in totius monasterii usum convertere.“<sup>2)</sup>

Ex temporibus sequentibus tria praesertim canonistae referunt responsa S. Congregationis, quin alicubi determinatum annum assignent.<sup>3)</sup> In causa scilicet Panormitana, in qua cum quaedam

<sup>1)</sup> Bull. Rom. ed. Lux. t. III. p. 89 ss.

<sup>2)</sup> Richter-Schulte p. 391 n. 1.

<sup>3)</sup> Quorum responsorum authentia sufficienter auctoritate Fagnani (o. c. p. 461, 462), qui per multos annos S. C. super reform. regul. secretarii Congregationumque C. et E. R. officialis munere functus est, et auctoritate Ferraris (v. Moniales art. 2. n. 66. 67. 68.), qui ex professo decreta authentica collegit, commendatur.

monialis praeter dotem monasterio tributam sibi reservasset scuta 50 annua pro suis necessitatibus atque indigentis, petit sibi fieri facultatem illa erogandi in usus praedictos: S. Congregatio censuit hanc pecuniam annuam non obstante reservatione iam quaesitam esse monasterio ideoque deferendam esse recta ad manus abbatissae, quae primum prospiciat necessitatibus monialis oratricis, et quod reliquum fuerit, in usus totius monasterii convertat. — In causa Neapolitana hic modus S. Congregationi propositus est diiudicandus: In aliquibus monasteriis moniales census et annuos quosdam redditus et proventus seu fructus percipiunt sub diversis contractuum speciebus, nam aliquae in ipsarum persona emerunt certos redditus a personis laicis, aliquae ab aliis monialibus, aliquae ab ipsis monasteriis . . . Et S. Congregatio censuit in nullo supradictorum casuum licere moniales dictos fructus seu redditus percipere, et si perceperint, incidere in poenas d. c. sess. XXV de Regul. — Pariter cum archiepiscopus Urbini retulisset S. Congregationi se non potuisse adducere moniales cuiusdam monasterii ad suscipiendam exactam vitam communem ideoque illis proposuisse, ut fieret communis arca, cuius clavis penes abbatissam existeret, et intus eam aptarentur tot scriniola, quot essent moniales, ita ut unaquaeque haberet claviculam scrinioli sui, et in eo asservaret pecuniam ex laboritio vel aliunde partam, quae in ipsius tantum et non in alterius necessitates erogari deberet arbitrio abbatissae, S. Congregatio hoc temperamentum ludicrum existimavit ac repugnans decreto dict. cap. 2, quod iubet, ut omnia superiori tradantur conventuique incorporentur.

Quae Sacrae Congregationis responsa constitutiones quaedam excipiunt pontificiae, quibus modo explicite modo implicite, praecepta nimirum perfecta vita communi, peculium prohibetur, quae tamen una excepta, ut expresse dicitur, tantum valent „pro Italia atque insulis adiacentibus“, ubi iam ex mandato Innocentii X et Alexandri VII<sup>1)</sup> novitii, ut ad professionem admitti possent, promittere debebant sese exactam vitam communem ad praescriptum regulae, quavis laxiore consuetudine in contrarium non obstante, servaturos fore.

Innocentius deinde XII, inhaerens decretis Concilii Tridentini, Clementis VIII, Innocentii X et Alexandri VII, decreto „Sanctissimus“ declarabat omnem, quamdiu in conventibus erectis observantia et vita communis exacte non vigeret, recipiendi novitios licentiam denegandam fore. Deinde addebat: „Porro ne regularis disciplina, dum in conventibus erectis statuitur, relaxetur in erigendis, . . S. Congregatio Sanctitate Sua similiter approbante,

<sup>1)</sup> Const. »Ad propagandum«: Bullarium Praedicatorum, ed. Rippolt. Romae 1729, VI. p. 178.

statuit atque decernit, nulla imposterum monasteria . . fundari, erigi aut quovis modo institui debere, nisi sub expressa obligatione exactae vitae communis ab omnibus religiosis ibi commorantibus perpetuo et inviolate servandae.<sup>1)</sup>

Idem pontifex anno 1699 constitutione „Pastoralis officii“<sup>2)</sup> confirmans quaedam decreta Capituli Generalis monachorum Ordinis Cluniacensis statuit: „VII. In posterum monachis in monasteriis particularibus degentibus pensiones personaliter non solvantur, sed redditus omnes, qui ipsis a prioribus pro sustentatione erogantur vel de mensa ad eos spectante quoquo modo proveniunt, in communi reponentur . . ministrandi ad necessariam in vita communi sustentationem monachorum. XIV. Cum nihil vitae monasticae conformius et magis ad conservandum paupertatis religiosae spiritum necessarium quam vita communis: ordinamus talem vitam in omnibus omnino monasteriis instituendam, ubi non est, omnesque redditus in communi reponendos.“

\* \* \*

Allatis hisce testimoniis ad tempora iam appulimus Benedicti XIV. Celeberrimus hic Pontifex, cuius prudentiam et consilium nullam alicuius momenti quaestionem latuisse compertum est, quid in materia peculii monastici senserit quin inquiramus, abstinere non possumus. Iamvero Benedictus librum quendam recensens defendentem peculii certis condicionibus circumscripti etiam post Concilium Tridentinum licentiam: „Pau-  
cioribus, inquit, verbis res absolvi posset asserendo licitum esse posse usum peculii, si ab ordinis constitutionibus a summo Pontifice approbatis permissus sit, si regularis eo utatur in causis licitas et necessarias a superiore approbatas, si eius usum ita habeat, ut paratus sit illud resignare apud superiorem statim ac ei fuerit praeceptum . . . Si meus sensus exquireretur . . dicerem . . sanctitatis argumentum in Dei Servo Regulari non esse desumendum a peculio et eius usu, non quia eius usum censeam improbandum, quoties debitae adsunt circumstantiae, sed quia sanctitatis argumenta ab actibus heroicis sunt desumenda.“<sup>3)</sup> Quae verba simul considerantibus scripta esse eo tempore, quo Fagnanum supra diversi ubique generis peculia in usu fuisse audivimus referentem, suspicio saltem superiorum peculii prohibitionum aliqua nobis ingeritur, cum quibus quomodo universalis eiusdem usus componi possit, sponte quaeritur. Numque hic erat prohibitionum illarum effectus? Causalem peculii consuetudinem

<sup>1)</sup> Bull. Rom. ed. Lux. t. VII. p. 295.

<sup>2)</sup> Bull. Rom. ed. Taur. XX, p. 683.

<sup>3)</sup> Benedictus XIV., De servorum Dei beatificatione et beatorum cano-  
nizatione. Romae 1747, t. III. p. 655 n. 12.

inductam esse testantem vidimus historiam: sed — et haec iam est nostra quaestio — haec praxis num facta est consuetudo formalis, num accedente consensu legislatoris vel saltem legali facta est legitima? Si vero ita est, id quod supponunt verba Benedicti, quid sibi volunt iteratae illae prohibitiones peculii? Duplex ergo nobis iterum quaestio se offert indaganda, altera de consuetudine formali seu de facto concessi peculii, de eiusdem cum decretis superioribus compositione seu de modo concessi peculii altera.

\* \* \*

Agnoscere tamquam legitimam post Concilium Tridentinum peculii consuetudinem nonnulli canonistae dubitarunt, antiquiores quidem, quia summam huius Synodi auctoritatem reverentes simulque quodvis per eam peculium prohibitum esse opinantes numquam fore putarunt, ut consuetudo aliqua contra illam impingere possit, recentiores vero, quia post decretum Clementis VIII legitimam peculii contra Concilium Tridentinum consuetudinem non iam admitti posse arbitrantur. Priore tamen difficultate mere theoretica eo sublata, quod nonnulla decreta disciplinaria Concilii Tridentini de facto consuetudine abrogata sunt,<sup>1)</sup> unde et recentes auctores talem passim admittunt, afferenda iam testimonia suo valore non destituuntur.

Quod mirum, primus ipse Clemens VIII, auctor constitutionis „Nullus omnino“, in quodam brevi anni 1602 Cardinali Gesualdo declarandum iniunxit „quod liceat abbatissae cuiuslibet monasterii permittere monialibus, ut unaquaeque earum ex subventionibus, quae eisdem monialibus dantur, aliquid expendere possit absque eo, quod per manus officialium erogetur, et sine onere aliam de eis rationem reddendi; summa autem haec erit scuti unius quolibet mense pro minutis causis etc.“ Cum vero in eodem brevi Pontifex praecepisset „ut imposterum neque ad habitum neque ad professionem aliqua recipiatur nisi sub integra reformatione vitae communis“, moniales autem ab hoc mandato reclamassent, idem Clemens aliud edidit decretum, quo declaravit: „Moniales vero, quae . . . imposterum admittentur in iis monasteriis, in quibus subventiones retinentur, nullatenus cogantur ad vitam communem.“<sup>2)</sup> Huc licet bene notet Piat: „Illud breve con-

<sup>1)</sup> Biederlack: »Die Gewohnheiten gegen die Disziplinargesetze des Concils von Trient« Act. Oenip. 1882, p. 438 ss. 608 ss.

<sup>2)</sup> S. Alphonsus L. IV. n. 15 p. 115 ss., qui hoc breve transscripsit ex P. Milante »Vindiciae Regularium«. Hoc opus in plus quam 10 bibliothecis requisitum reperire non potui, de laudati vero brevis Clementis VIII. authentia dubitari nequit, quia Concina data opera scribens contra opus »Vindiciae Regularium« diligentissimeque inquirens in textus a P. Milante allegatos illud prorsus intactum relinquit.

cessionem specialem continet adeoque regulam generalem non continet,<sup>1)</sup> severitatem tamen constitutionis ante triennium editae hoc breve haud parum mitigat.

Clementis vero constitutionem, quam confirmavit notus iam nobis Urbanus VIII, idem Pontifex quoad peculium monasticum idque compatibile postea abrogavit. In constitutionibus enim Ordinis Minorum Conventualium a se 1628 approbatis „quoniam iusto praemio omnis labor remunerandus est“, fratribus et magistris theologiae, qui magistri novitiorum aut professoris munere per 12 annos laudabiliter perfuncti fuerint, speciales gratias et favores concedit, deinde vero pergit: „Si vero insigniores patres provinciae pro amore Dei et religionis incremento hoc perutile munus exercere voluerint, aut si superiores quibuscumque emeritis patribus provinciae illud demandare decreverint, statuitur pro his honorarium sex scutorum in annum ex bonis vel conventus vel provinciae, prout superioribus melius videbitur, superaddendum.“<sup>2)</sup> Quibus quin verum peculium Pontifex concesserit, non est dubium, cum idem infra verba proferat iam allegata: „Usu generali nedum apud Minores Conventuales, sed et alios fere omnes religiosos, annuente etiam Sancta Ap. Sede, receptum est et sapientis oeconomia constitutum, ut singulis mensibus assignetur cuilibet religioso vestiarius seu modica pecuniae summa pro ipsius vestitu et aliis necessitatibus sublevandis.“ Ceterum iam ex superiore peculio concesso fratribus Minoribus facile valet illatio ad alios ordines, cum mendicantes quoad paupertatem ad strictissimam observantiam vi regulae et constitutionum adigantur.

Aliud deinde concessi post Concilium Tridentinum peculii testimonium Breve nobis suppeditat Innocentii XII „Ex adiuncto nobis“<sup>3)</sup> anno 1691, quo approbantur constitutiones Ordinis Sanctae Mariae de Mercede, et quibus permittitur peculium de superioris licentia. „Sancimus, ita Pontifex, ne quis fratrum professorum aliquid proprium habeat neque pecunias neque vasa argentea etc.; neque illa expendat absque sui praelati licentia“ (Dist. III. C. II. n. I.). „n. VI. Attendant autem fratres nostri, quod singulis annis semel omnia, quae in usu retinent, commendatoribus suis exponant et realiter exhibeant, eorum dispositioni relinquendo, et specialem licentiam utendi eis accipiant a praelato.“ „n. X. Ipsius vero fratribus sub formali praecepto oboedientiae praecipimus, cuiuscumque conditionis, officii vel qualitatis exstiterint, ut singulis annis sub feria quinta maioris hebdomadae . . . inventarium faciant de his omnibus, quae apud se habeant con-

<sup>1)</sup> I. p. 226, nota 1.

<sup>2)</sup> Constit. Urbanae p. 37.

<sup>3)</sup> Bull. Rom. ed. Taur. XX, p. 232 ss.

cessa ad usum a religione vel a praelato, in quo clare, distincte et manifeste omnia recenseant et exponant de praesenti habita.“

Spectantem huc etiam S. Congregationis decisionem habemus ex anno 1693. Cum enim episcopus Cesenatensis vehementer cuperet moniales S. Clarae in sua civitate ad vitae communis praxim revocare, S. Congr. Conc. die 12 Martii 1693 rescripit ad mentem. „Et mens fuit, ita Ferraris, quod circa vitam perfecte communem nihil esset innovandum.“<sup>1)</sup>

Anno denique 1725 Benedictus XIII in constitutione „Postulat humilitati nostrae“<sup>2)</sup> loquens de religiosis promotis ad aliquam dignitatem praecipit: „§ 5. Omnibus et singulis regularibus personis . . . tenore praesentium strictissime interdiciamus ac inhibemus, ne secum adsportare propriisque usibus applicare audeant libros, pecunias, credita, deposita, sed omnia bona mobilia seu immobilia cuiuscumque generis, quae eos tempore suae promotionis penes se vel alios habere contigerit, exceptis dumtaxat scriptis propriis, indumentis et breviario, superiori locali resignare teneantur.“ Ibi ergo tamquam usum receptum, quin ullo pacto improbet, supponit Pontifex religiosum habere posse apud se bona immobilia seu mobilia, quae factus episcopus iubetur resignare superiori.

\* \* \*

Restat iam, ut altera quae a nonnullis ex Clemente VIII contra valorem consuetudinis decretum Tridentinum in materia peculii abrogantis movetur difficultas, paucis absolvatur. Concedendum omnino est — id quod omnes persuasum sibi habent, — decreto Clementis VIII supra citato quodvis peculium strictissime prohiberi. Ast haec lex pontificia primo valebat tantum pro ditionibus Italicis. Licet enim ipsa verba contineant ordinationem universalem „inclinat tamen animus, ita Vermeersch, ut istius constitutionis negemus vim universalem. Tota enim pertinet ad opus illud reformationis, quod pro Italia tanto studio aggressus erat Clemens VIII.“<sup>3)</sup> Insuper, quod fortius est, ita refert Pignatelli: „Hodie regulares extra Italiam pro quiete conscientiarum quaerunt, an decreta generalia eiusdem Clementis VIII, postea die 25 eiusdem mensis iunii edita absque aliqua restrictiva necnon confirmatio eorumdem ab eodem Urbano pariter facta sine restrictiva in decretis de regularibus apostatis et eiectis extendantur ad Conventus etiam extra fines Italiae existentes. Respondeo, non comprehendere regulares extra Italiam. Ita

<sup>1)</sup> Verb. »Moniales«, art. 2. n. 71.

<sup>2)</sup> Bull. Rom. ed. Taur. XXII, p. 129—133.

<sup>3)</sup> II, p. 61. nota 1.

declaravit S. Congregatio Concilii die 4. Febr. 1648, in una regularium S. Dominici in Gallia.<sup>1)</sup>

Deinde haec lex pontificia extra Italiam nusquam est recepta, lex autem non recepta ex communi sententia canonistarum<sup>2)</sup> non obligat. Verum etenim quidem est acceptationem legis non requiri, ut haec vim obligandi obtineat, „feri tamen potest, ut alicubi lex lata iure non recipiatur, si nimirum ibi viget contraria consuetudo, quae per legem addita clausula derogatoria non aufertur.“<sup>3)</sup> Contrariam autem consuetudinem ubique viguisse supra vidimus, et laudatum decretum saltem extra Italiam nemo respexit; paucis enim decenniis post ipsum editum narrat Caramuel se pleraque Hispaniae, Galliae, Belgii monasteria visitasse, constitutionem vero Clementinam ne nomine quidem ullibi notam repperisse.<sup>4)</sup>

Quod autem confirmationem attinet, quam haec constitutio ab aliis Pontificibus acceperat, perperam ad eam provocatur. Urbanus enim VIII decreto „Sacra Congregatio“ die 21 sept. 1624<sup>5)</sup> innovavit quidem hanc constitutionem, „nulla autem clausula vis eorum decretorum ampliatur, cum contra describantur qualia prodierant, id est cum verbis quibus Italia finiuntur.“<sup>6)</sup> Et Innocentius XII decreto „Sanctissimus“ die 18 iul. 1695<sup>7)</sup> confirmat quidem decreta Clementis VIII, Innocentii X, Alexandri VII, attamen tantum „quatenus opus sit“ et „salvis in hac parte singulorum Ordinum statutis seu aliis ordinationibus ab Apostolica sede in forma specifica post eadem decreta forsitan approbatis aut editis.“

Unde — intra parentesim hoc notetur — quia Innocentius XII approbans decreta praedecessorum suorum vitam perfecte communem pro sola Italia praecipientia et singulorum ordinum statuta agnoscit et ordinationes pontificias aliud quid statuentes, patet eiusdem Pontificis decreto ad Cluniacenses dato non convenire nisi valorem particularem.

Superioribus autem verbis iam innuitur, quod denique in hac parte urgemus, licet nemo ex auctoribus id animadvertat: Decretum Clementis VIII ab Urbano VIII 1628 in nostra materia abrogatum est, nam peculio ab hoc Pontifice Mendicantibus

<sup>1)</sup> Pignatelli, Consultationes canonicae. Coloniae Allobrogum 1700, t. I. p. 333, Cons. 282.

<sup>2)</sup> c. Treugas 1. De treuga et pace (I. 34).

<sup>3)</sup> Noldin, De principiis. 5. Oeniponte 1905. n. 131, 1 b.

<sup>4)</sup> Caramuel a Lobkowitz O. Cist., Theologia regularis. Francofurti 1646, In caput 33. regulae.

<sup>5)</sup> Bull. Rom. ed. Lux. t. V. p. 248.

<sup>6)</sup> Vermeersch II. p. 62, 4.

<sup>7)</sup> Bull. Rom. ed. Lux. t. 7. p. 295.



„temperatio“, concessio nempe peculii, quod concedens ecclesia ad temporum necessitates descendit aequitatis ac prudentiae magis quam theoriae canonicae habens rationem: itaque modum indicant, quo peculia haberi conceduntur. Modus autem, quem servandum exegit ecclesia, est systema loculorum, quod vocatum est, vel areae communis vel aerarii.

Cuius instituti structura clarissime exhibetur ab Urbano VIII in notis iam constitutionibus fratrum Minorum: „Pecuniae vero, ita Pontifex, aliaeque res quaecumque fratrum intra statutum tempus tradantur superiori in commune Conventus aerarium reponendae . . . ex quibus, subministrato exhibitori, quantum religiosae eius necessitati (status valetudinis laborumque ratione habita) expostulare videbuntur, reliquum penes aerarium remaneat . . . Quod vero a superiori ipsi traditum fuerit vel undecumque ad eius manus pervenerit, memorato superiori de eo rationem ad omnem eius nutum reddere teneatur.“<sup>1)</sup> Adde integros textus, quos supra attulimus, et haec facile colliges: Ex pecunia undecumque parta, cuius non proprietas, sed usus dumtaxat permittebatur, fratres non poterant sibi providere statim de aliqua re, sed in communi arca eam reponere debebant, maiores quantitates semper in aerario, minores apud expensorem, ut ex communi massa deinde singulis mensibus certa summa assignaretur sive expensori sive immediate singulis religiosis pro vestibus aliisque particularibus necessariis comparandis, attamen sub condicione perfectae a superiore dependentiae.

Eiusmodi autem loculos etiam in aliis ordinibus brevi in usu fuisse testatur Caramuel, qui ita scribit: „Religiosos habere loculos est hodie in usu et praeceptis Capituli et Generalium et Visitatorum singulis annis confirmatum ac satis utile.“<sup>2)</sup> Est autem spiritus huius temporis, quod saltem tale peculium tamquam externum movens disciplinae regularis considerari consuevit eiusque utilitas eo commendabatur, quod „ubi loculi permissi, accenditur devotio populi, sunt conciones frequentes, missae quotidie, et successivae horae non insumuntur fabulis, sed unusquisque liberas in arte aliqua honesta iuxta capacitatem et ingenium exerceat.“<sup>3)</sup> Cuius spiritus temporis ecclesia prudenter rationem habens vitam perfecte communem non nimis urgebat, quia, ut fatetur Benedictus XIV.: „Neminem reperire est, qui veritatem hanc meridiana luce clariorem ultro non fateatur. Difficultas versatur in maximis removendis obstaculis, quae passim occurrunt“,<sup>4)</sup> sed vitae in radice communis observatio ex ecclesiae praecepto et

<sup>1)</sup> Constit. Urb. p. 88.

<sup>2)</sup> In cap. 33. regulae.

<sup>3)</sup> Ibid.

<sup>4)</sup> De synodo dioec. l. c. n. 19.

requirebatur et sufficiebat ideoque peculium compatibile — hoc enim solum ab Urbano VIII expresse concessum esse ex dictis resultat — expresse tamquam licitum declaratum est.

Quae liceitas a fortiore conveniebat peculio, quod religiosus ex pecunia a seipso comparata et in communi area deposita hic et nunc de licentia superioris ad usus privatos impendere poterat. Hic est strictior modus loculorum, quem Caramuel dicit nihil aliud esse nisi „quod subditus dicat Praelato sibi obventuras necessitates, in quibus sublevandis consumenda esset pecunia, et ne monasterio sit gravamini, se petere licentiam congregandi ex stipendiis missarum vel ex quaestu certae artis summam pecuniarum deponendam apud ipsum Abbatem aut alium ad hoc constituendum pro eius arbitrio cum plenaria resignatione illis carendi, si Abbati visum fuerit.“<sup>1)</sup> Haec est forma loculorum, quam iam Suarez omnino comprobatur scribens: „Non est contra Concilium, quod singulis annis (pecunia ab extra praestita) recipiatur et in usus ipsius monialis convertatur, etiamsi solutio certa sit et infallibilis, dummodo pecunia et eius usus debito modo recipiatur et particulari applicetur: consistit autem debitus modus in hoc, ut pecunia, quamdiu non consumitur, non possideatur ab ipsa in particulari persona, sed a superiore vel a publico officiali ad hoc munus constituto, et postea de licentia eiusdem superioris in usum talis personae convertatur. Si enim haec observentur, nec religiosus habet aliquid proprium nec possidet aliquid superfluum, neque etiam habet usumfructum rei immobilis, neque aliquid aliud committit contra tenorem Concilii.“<sup>2)</sup> Quodsi in ultimo hoc modo ratio peculii nimis forte extenuatur, attendi debet Suarez peculium componere cum decreto Tridentino et concessionem ab Urbano VIII factam ignorare.

Num vero modo haec modo illa loculorum forma servanda fuerit, nunc temporum locorumque adiuncta, nunc superiorum prudens consilium, nunc ecclesiae determinavit praeceptum. Unum tamen certum habemus: Temporibus Benedicti XIV quamvis peculium dependens incompatible concedamus solum ex consuetudine saltem tolerata licitum fuisse, peculium tamen compatibile expressa contendimus legis concessionem gaudere.

\* \* \*

Post Benedictum XIV usque ad initium saeculi elapsi nulla in re peculii monastici occurrit maioris momenti dispositio iuris. Saeculum vero praeteritum, tot hinc in universali nationum oeconomia rerum novarum seminarium, restauratae inde regularis disciplinae maxime sub Pio IX et Leone XIII Pontificibus

<sup>1)</sup> In caput 33. regulae.

<sup>2)</sup> L. VIII, C. XIV. n. 14.

laetabilis epocha, et religiosorum ad proprietatem relationem in novis atque inauditis adiunctis collocavit et mentem ecclesiae de peculio monastico saepius declarari fecit.

Novo innixum, qui in variis regnis tamquam legum politicarum fundamentum a gubernio civili receptus est, Codice Napoleonis, decretum 18 februar. 1809 in Belgio, 22 iun. 1810 in Hollandiae quoque ditionibus promulgatum, admittebat moniales hospitalarias sollemnibus votis obstrictas, pluribus tamen praecipuis legibus, quarum praecipuae erant: „Art. 9. Chaque hospitalière conservera l'entière propriété de ses biens et revenus, et le droit de les administrer et d'en disposer conformément au code civile. — Art. 10. Elle ne pourra, par acte entre vifs, ni y renoncer au profit de sa famille, ni en disposer soit au profit de la congrégation, soit en faveur de qui que ce soit.“<sup>1)</sup> Hae leges civiles, quas potestas publica servandas urgebat, cum optionem relinquerent religiosis aut laedendi voti paupertatis essentiam aut e finibus Belgii et Hollandiae exulandi, ab ecclesiae praesulibus diligenter examinatae sunt, quae per Rescriptum S. Poenitentiariae 1 decemb. 1820 eas etiam in foro ecclesiastico agnovit. Rescriptum ita sonat: „S. Poenitentiaria intelligens velle omnino gubernium, ut vetus illud decretum die 18 febr. 1809 a regularibus Belgii observetur, quo proprietas, possessio et administratio bonorum, quae ad eos pervenerunt, singulis religiosis vel monialibus vindicetur, concedit de expressa auctoritate Apostolica regularibus utriusque sexus iam sollemniter professis, ut ea bona acquirere, retinere et administrare deque iis in pios honestosque usus disponere possint, non obstante paupertatis voto, dummodo cum debita a Superioribus legitimis dependentia hoc faciant.“<sup>2)</sup> Huic concessioni, cuius inauditum stupentes argumentum nonnulli canonistae ad varia effugia desperatasque distinctiones sese converterunt, ipsius responsi tenor eam clarissime dictat tribuendam esse vim, qua secundum Vermeersch „suspensis et impeditis sollemnis voti paupertatis effectibus, verum professis adiudicetur dominium, cuius honestus tamen usus voluntate Superiorum sit moderandus.“<sup>3)</sup> Reicienda proinde est sententia Bouix, qui ad possessionem quandam pseudocivilem, quam vocat, confugit duplex in religioso distinguens dominium, unum pro foro ecclesiastico, pro foro civili alterum,<sup>4)</sup> quod autem Scherer merito reicit tamquam „unjuristisch und ungenügend, um Scheingeschäfte, wie die Testierung des Klostergutes durch den Superior, zu ernstern Rechtsgeschäften, und andererseits wahre Rechtsgeschäfte,

<sup>1)</sup> Vermeersch II. p. 79.

<sup>2)</sup> Vermeersch II. p. 78.

<sup>3)</sup> ibid. p. 79.

<sup>4)</sup> t. I. p. 420—21.

wie die Erbserklärung eines Regularen, zu harmlosen Formalitäten zu stempeln.“<sup>1)</sup>

Quod in Belgio radicalis et ecclesiae inimica legum civilium obtinuit indoles, hoc tristium postea turbinum politicorum tempora in Italia necessarium reddiderunt. Quodsi in Austria olim Josephus II certam singulis religiosis pensionem loco communis sustentationis assignari iussit, aequalis etiam Italiae regulares sors manebat. Temporum vero non ignorans necessitatem Pius IX 1866 declaravit „licere Regularibus utriusque sexus suppressis, titulo compensationis pro damnis illatis sibi a Gubernio debitae, percipere pensiones ab eodem Gubernio assignatas, ea tamen lege, ut quamdiu in Communione cum aliis Regularibus vixerint, pensionem apud Superiores suos pro bono totius communitatis deponere teneantur.“<sup>2)</sup>

Eorundem regularium iuridicam cuiusvis peculii incapacitatem a fortiore tunc cessit ecclesia, quando perfectae paupertatis fundamentum, vita nimirum communis, sublata est. Sic 1867 S. Poenitentiaria declarationem edidit, in cuius numero XVII conceditur regularibus in Italia suppressis „ut attentis peculiaribus circumstantiis iisque perdurantibus, non obstante sollemni paupertatis voto, bona sibi legitimo iure spectantia ac etiam haereditates . . . recipere, adire ac retinere deque iis nedum contractus inire, sed etiam in pios honestosque usus, ac praesertim in favorem sui Ordinis aut Instituti, necnon in grati animi significationem per actus sive inter vivos sive causa mortis disponere valeant, accedente ipsius Ordinarii aut Superioris . . . approbatione.“<sup>3)</sup>

De eiusmodi denique religiosi extra communitatem viventibus disponens S. Congregatio super disciplina Regulari in literis 4 sept 1876 ad Superiores Generales datis repetit facultatem iisdem concessam „concedendi propriis subditis et dispersis et in saeculo extra communitatem degentibus, ut disponerent etiam testamento de privato et legitimo peculio in pios honestosque usus ac praesertim in favorem sui Ordinis aut Instituti,“<sup>4)</sup> quod ultimum praecise hoc decreto severe inculcatur.

Praecepta interim saepius perfecta vita communis, schema Concilii Vaticani de eadem re agens, maxime vero disputationes Bouix et Daris responsum illud anni 1820 apud plerosque religiosos Belgii in dubium vocarunt. Dubitantibus vero et interrogantibus episcopis Belgicis, num decretum S. Poenitentiariae de die 1 dec. 1820 adhuc valeat, S. Congregatio die 31 iul. 1878 ita respondit: „SSmus Dominus Noster Leo divina providentia

<sup>1)</sup> IV. B. II. C. § 147, 3.

<sup>2)</sup> Vermeersch II. p. 473.

<sup>3)</sup> Vermeersch II. p. 475 ss.

<sup>4)</sup> ibid. p. 489, 490.

Papa XIII, referente me infrascripto Secretario S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praepositae, audita prius nonnullorum Eminentissimorum Patrum sententia, respondendum esse mandavit Affirmative; ac praesentium tenore declarare dignatus est, quatenus opus sit, omnes singulosque Belgii Regulares utriusque sexus, etiam qui vota sollemnia nuncuparunt, praedictos omnes actus valide et licite exercuisse et exercere, ac proinde potuisse ac posse tuta conscientia etiam cum iureiurando asserere se voluisse ad normam legum civilium verum dominium bonorum a se possessorum acquirere una cum iure de iis disponendi.<sup>1)</sup> Hoc decreto sententiam, quam antea Bouix proposuerat, nullo iam modo patet sustineri posse.

\* \* \*

Temporum ergo peculiariumque adiunctorum sapienter respiciens exigentias, ubi necessitas suadebat, ecclesia theoriam canonicam de religiosae paupertatis voto modo prorsus insueto mutare non dubitavit. Neque tamen his concessionibus peculiarium usum ubique simpliciter licitum declaravit, sed paterna, qua saeculo praeterito statum religiosum prosequi non cessabant Pontifices cura, vitae exacte communi saepius inculcandae incubuit. Mens erat ecclesiae, ut saltem in locis Novitiatu et Professorii perfecta vita communis pro posse restitueretur, in aliis locis peculium tantum in forma loculorum admitteretur; unde novas ordinum constitutiones non approbavit, nisi quodvis iisdem peculium excluderetur.

Iam anno 1814 prodit decretum S. Congregationis E. R. a Pio VII approbatum, quod sic habet: „X. Quibus in coenobiis et domibus sanctissima perfectae vitae communis disciplina vigeat, ea omnino in posterum retineatur. In reliquis omnibus domibus, cuiuscumque generis et appellationis, vita communis restituatur in iis, quae victum, vestitum, medicamenta morbis curandis et itinera iussu Ordinis suscepta respiciunt. De annuis vero praestationibus, quae livelli dici solent, aliisque pecuniis, quae religiosi viris quocumque nomine venerint, Decreta serventur Romanorum Pontificum, quibus praecipitur, ut quamprimum in commune aerarium inferantur et ea ratione custodiantur, quam singulorum Ordinum regulae et constitutiones praescribunt.“<sup>2)</sup> Ex his vero pecuniis, ita pergit decretum verbis Urbani VIII, subministrato exhibitori, quantum religiosae eius necessitates (status valetudinis laborumque ratione habita) expostulare videbuntur, reliquum penes aerarium remaneat.“<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Vermeersch II. p. 78.

<sup>2)</sup> Bizzarri p. 44.

<sup>3)</sup> ibid.

Eadem S. Congregatio E. R. in epistola die 2 mart. 1840 ad praesidem Cisterciensium data, in memoriam revocabat decretum Innocentii XII die 18 iul. 1691, in quo Pontifex iubet „ut in unaquaque Provincia quamprimum (superiores) deputent aliquos conventus vel unum saltem ibique Auctoritate Apostolica statuunt omnimodam observantiam regulae, constitutionum et Decretorum Apostolicorum, praecipue vero perfectae vitae communis.“<sup>1)</sup>

Magni pariter momenti sunt Litterae Encyclicae ad Superiores Generales ex 22 april. 1851, quibus Cardinalis Praefectus S. C. E. R. sequentes Pii IX dispositiones omnibus Superioribus ordinum regularium patefaciebat:

„1. In tutte le case di noviziato sarà introdotta la perfetta vita comune, derogandosi a qualunque indulto, privilegio ed esenzione che avessero ottenuto gl'individui che ne debbono formare la famiglia.

2. Si dovrà richiamare nelle case di professorio, di educazione e di studio la perfetta osservanza delle costituzioni del rispettivo istituto, specialmente sulla povertà.

3. In qualunque casa si stabilirà la cassa comune colle consuete cautele, in cui tutti i Religiosi, non ostante qualunque privilegio, dovranno fare il deposito dei denari, non potendo ritinere presso di loro più di quello che permettono le rispettive costituzioni. I Religiosi mendicanti poi che sono muniti di speciali facoltà di far usi di qualche somma dovranno, non ostante qualunque privilegio, depositarla presso il Sindaco Apostolico, o l'amico spirituale da scegliersi colla intelligenza del Superiore Generale, o del Provinciale.“<sup>2)</sup>

Ecclesiae deinde, non quidem praeceptum continet, eiusdem tamen mentem clare nobis aperit tertium schema Concilii Vaticani 1869.<sup>3)</sup> In hoc schemate, cui hic eam tantum tribuimus vim, quam ex eiusmodi documentis communiter theologi repetunt, haec Patrum examini proposita statuebantur: „Nulla in posterum nova domus religiosa erigatur, vel etiam de iure vel de facto suppressa restituatur sine expressa condicione et lege in posterum servandae vitae perfecte communis; secus erectio vel restitutio irrita omnino habeatur.“

„Quicumque in futurum professionem emittet, praecepto servandi vitam perfectam communem teneatur; ideoque ei qui admitti ad profitendum in quolibet Ordine, Congregatione, Societate et Instituto regulari postulaverit, priusquam tum domi

<sup>1)</sup> Plat I. p. 231.

<sup>2)</sup> Bizzarri p. 852.

<sup>3)</sup> Acta et decreta Sacrorum Conciliorum Recentium, Collectio Lacensis, Friburgi Brisg. 1882, t. VII, col. 676, C. I a.

recipiatur tum habitu religioso induatur, dictum praeceptum expresse denuntietur, ita ut si huic se subicere recusaverit, nullo modo in Religionem admittatur . . . Insuper infra annum ab absoluto Concilio perfecta vita communis omnino constituitur in domibus novitiatus, professorii ac studiorum, quatenus in eis introducta adhuc non reperiatur vel etiam introducta non servetur.“

Si hoc schema ad sui definitionem pervenisset, cuiuscumque peculii usum prohibitum fuisse ostendunt verba: „Haec quoad Religiosos viros et Sanctimonialiales volumus et mandamus; ideoque graviter praecipimus omnibus Moderatoribus Generalibus . . . aliisque ad quos spectat, ut quae in hac nostra constitutione decreta sunt, executioni plene committant, non obstantibus omnium et singulorum privilegiis et indultis sub quibuscumque formulis verborum conceptis . . . necnon . . . consuetudinibus immemorabilibus aliisque contrariis quibuscumque.“

Ultimus adhuc audiatur Leo XIII, qui in constitutione „Gratulatio“ ad abbates Ordinis S. Benedicti in Austria 30 dec. 1888 directa sic loquitur: „Imprimis cum nihil magis obsit paupertati quam privati peculii habendi facultas, naviter cavere oportet, ne haec mala labes domicilia monachorum inficiat.“<sup>1)</sup>

\* \* \*

Reprobatum hunc ab ecclesia semel atque iterum peculiorum usum praeceptamque eundem excludentem vitam perfecte communem quomodo cum superioribus eiusdem ecclesiae concessionibus quis conciliabit? Ad hanc quaestionem rite solvendam nostra iam de peculii monastici natura atque liceitate sententia facilem et securam sternere videtur viam.

Quaestio nimirum de liceitate peculii monastici ex solis fontibus iuris adaequate solvi non potest: cum enim effectus voti religiosae paupertatis iuridicus, inhabilitas domini sive utilis tantum sive utilis et radicalis, lege ecclesiastica necessario quidem requisitus, sed statui paupertatis non sit essentialis,<sup>2)</sup> ipsam vero paupertatem status religiosus ex natura sua exigat, quaestio de peculio religiosorum est primario et principaliter quaestio moralis seu ascetica et secundo tantum, attamen ex iuris dispositione necessario, quaestio iuridica.

<sup>1)</sup> Archiv f. k. KR. 61 (1889) p. 428.

<sup>2)</sup> Bene notat Scherer IV. B. II. C. § 147, 3. »Das Gelübde der freiwilligen Armut verpflichtet an und für sich keineswegs dazu, sich alles Eigentums und aller Nutzungsrechte zu entäußern und nichts zu besitzen. Die Armut verlangt nur den Verzicht auf alles Überflüssige und zwar nicht minder in der ganzen Einrichtung des Lebens, in Wohnung, Ernährung und Kleidung, als in vermögensrechtlicher Beziehung.«

Huius peculii indolis saltem confuse et indistincte sibi conscii et canonistae et moralistae — quod mirum — pro sua quisque sententia confirmanda morale et asceticum nostrae materiae urgent momentum. Canonistae, quia usus peculii sit quaestio essentialiter ascetica, nullam inveniunt difficultatem, analogiam iuris Romani in re peculii ad religiosos applicandi eiusdemque usum iis concedendi: quid enim nocebit monachis peculium, cum totum tandem aliquando a spiritu paupertatis dependeat? Moralistae e contra, si paucos excipias, ex eadem primaria peculii indole illud illicitum prorsus declarant: „Peculium istud, ita Concina, omnibus tribus sollemnibus votis bellum indicit, clades intentat. Atqui claustrales et vi naturalis divinaeque legis et propriae professionis vinculo evitare astringuntur gravissimam occasionem violandi tum sollemnia vota tum ceteras regularis observantiae leges.“<sup>1)</sup> Iam cum ex una parte quaestio de usu peculii non sit simpliciter iuridica nec simpliciter ascetica, sed utrumque praeseferat characterem et ex utroque momento constituatur, ex altera vero hinc canonistae practici elementi essentialis, magnorum nimirum peculii periculorum, nullam habentes rationem, ex solo iure rem absolvere velint, moralistae inde nec legis dispositiones nec temporum ullo modo respicientes necessitates, theoriam suam premant atque urgeant, principium nempe absolutae obligationis vitandi quodlibet periculum peccandi, facile ingens et impenetrabilis haud raro, ex qua plerique auctores de peculio tractantes laborant, intelligitur obscuritas et confusio.

Huius explicationis veritatem modus etiam confirmat procedendi ecclesiae eademque simul nostra sententia varias, quae in eiusdem ecclesiae dispositionibus circa materiam peculii toties adesse videntur contradictiones, optime explicat atque inter se conciliat. Dupplicem siquidem peculii characterem non ignorans utriusque momenti ecclesia prudentem servat rationem. Ex parte iuris nullam ipsa ne minimam quidem habet difficultatem relinquendi theoriam canonicam de perfecta religiosorum relate ad proprietatem incapacitate: ubi temporum locorumve necessitates id exigunt vel peculiaria suadent adiuncta, eo usque eam vidimus processisse, ut verum ius domini religiosi adiudicaret. Et ex hac parte ergo a fortiore peculium compatibile plena liceitate iuridica gaudet, quia in maiore continetur minus. At vero momenti quoque ascetici, ex parte ipsius peculii principalis, aequae rationem habet ecclesia et hinc peculium etiam compatibile severius prohibet quam ipsum ius domini, quia „multo magis repugnat statui paupertatis usus et dispositio rerum arbi-

<sup>1)</sup> Diss. II. p. 24, n. 16.

traria quam solum directum rei dominium sine facultate ea libere utendi.<sup>1)</sup>

Ecclesia enim, cum peculium prohibet, non ac si statui paupertatis essentialiter repugnet, id facit, nam dependens bonorum usus non est contra votum paupertatis, sed prohibitionem illam fert propter abusus cum usu peculiorum frequenter coniunctos et propter pericula laedendi votum paupertatis. Eo ipso autem haec prohibitio, utpote quae dirigatur non contra ipsam rem, sed contra rei abusum, non est absoluta, non tollit simpliciter peculii liceitatem. Nam licet verum sit, quod iam Anonymus ille Concilii Constantiensis quoad peculium monuit: „Usus et habitus rerum temporalium in actu est occasionaliter impedimentum perfectionis, quia ex hoc, quod aliquis res temporales possidet, allicitur animus ad eorum amorem,<sup>2)</sup> licet etiam plerosque testante historia abusus secum tulerit peculii concessio, nihilominus bene tamen notandum, quod contra hanc obiectionem iam Suarez exceptit: „Abusus huius concessionis vel licentiae est per accidens. Neque est verum inde sequi moraliter aut regulariter proximo occasionem alicuius mali, nam id pendet ex particularibus circumstantiis personae, causae ac necessitatis rerum seu bonorum, quorum usus vel usufructus conceditur, quibus spectatis interdum potest hoc fieri sine periculo alicuius mali, aliquando vero potest esse necessarium ad vitandum maius malum vel ad convenientem alicuius personae gubernationem.<sup>3)</sup>

Quod vero attinet periculum ex usu peculii suppeditatum peccandi contra paupertatem, tutioristarum vel saltem probabilioristarum est strictissimam inde deducere obligationem vitandi quodvis peculium. Nos econtra illud periculum peccandi contra votum negamus esse sufficientem rationem, propter quam solam peculii liceitas dici debeat excludenda, et pro hac negatione ad ipsam provocamus ecclesiam, quae sapientior est experientiaque doctior, quam ut temporum locorumque exigentias non consideret. Benedictum XIV, ut mitissime in inducenda vita perfecte communi procedatur, superioribus religiosis consuluisse adhuc videbimus, et ex ultimis Leo XIII in commemorata iam epistola sua ad Superiores Benedictinos data valde quidem exoptat vitam perfecte communem ideoque peculium reprobatur, non autem illud simpliciter reicit, non contra omnem praxim theoriam urget, cum ita scribat: „Vestrum enim est prae ceteris viam et rationem agnoscere, qua communis disciplina in singula Austriae Monasteria possit induci, quippe experientia edocti quid res,

<sup>1)</sup> Lehmkühl, S. J.: Theologia moralis 7. Friburgi Brig. 1893, P. I. L. I. p. 315, 2.

<sup>2)</sup> l. c. cap. II.

<sup>3)</sup> L. VIII, Cap. 14, n. 4.

tempus postulent, optime perspicitis, quomodo sancta Ordinis regula locorum ac temporum conditioni valeat adtemperari, quin de illius natura et vi quidpiam detrahatur. Nos autem malum auctoritate Nostra probare, quod optimum factu prudentia vestra censuerit, quam quod Nobis placuerit pro potestate decernere.<sup>4</sup> Tempora autem nostra non esse ea, quae ubique vitam perfecte communem statim admittant, nemo est qui neget, cum ipsos Fratres Minores Conventuales, qui ex anno 1882 exactissimam vitae communis formam vovere debent, Patavii e. g. videamus ex iustis causis peculio utentes.

Quodsi denique unica causa, propter quam usum peculii prohibet ecclesia, est abusus cum eodem accidentaliter coniunctus et periculum peccandi contra spiritum paupertatis, sublata hac causa non iam cur peculii licitatem non concedamus, habemus. Hanc autem causam moraliter tolli consent auctores eo, quod peculium legitimis circumscribatur condicionibus, quibus positus ipsos Pontifices per decursum huius quaestionis peculium concessisse vidimus et quas hisce colligimus:

1<sup>o</sup> Ratione causae requiritur, ut peculium concedatur tantum ex legitima causa necessitatis vel utilitatis.

2<sup>o</sup> Ratione finis, ad quem permittitur, exclusa semper manere debet facultas ipsum expendendi in usus non solum in se illicitos, sed etiam in usus viro religioso parum decentes.

3<sup>o</sup> Quod quantitatem attinet, peculium in modicissima quantitate constituatur necesse est.

4<sup>o</sup> Quoad qualitatem usus peculii haec sunt observanda:

a) Peculium debet esse dependens. „Ut autem in usu vera sit dependentia a licentia praelati, oportet ut sit in praelato et a subdito admittatur facultas revocandi concessionem usus, quoties ille voluerit,<sup>1)</sup> quod tamen tunc solum valet, quando secus religioso de omnibus necessitatibus sufficienter providetur.

b) Haec dependentia, id quod unicus monet Biederlack<sup>2)</sup>, quod tamen summi est momenti, a superiore in erogatione peculii non tantum de iure adsit, sed etiam de facto exerceatur oportet, quod fit eo, quod religiosus perfectam de factis expensis statutis temporibus suo superiori rationem reddit.

c) Peculium debet esse compatibile. Quidquid ergo regularis ab extra accipit vel acquirit, in communem massam conflare et peculium tantum ex massa communi accipere debet. Quod cum toties ab ecclesia inculcatum fuerit, peculio incompatibili locum dare non audemus.

d) Peculii concessi saltem maiores quantitates non apud se retineat religiosus, sed apud superiorem deponat.

\* \* \*

<sup>1)</sup> Ballerini, IV. n. 115, 2<sup>o</sup>.

<sup>2)</sup> n. 51 in fine.

Peculii his condicionibus circumscripti liceitatem haud quis infitiabitur; nos saltem hoc peculii genus intelligentes ita concludimus cum Piat: „Regulares, quibus Ordinis Constitutiones vel statuta a S. Sede approbata vitam communem minus perfectam permittunt, eadem frui possunt, quamdiu Sedes Apostolica illos ad vitam perfecte communem non obligaverit, vel quamdiu ipsi sponte illam non adoptaverint.“<sup>1)</sup> Perfectior vitae communis forma cuiusvis excludens peculii usum, ubi fieri potest, ut introducatur, summopere conandum esse et nos libenter concedimus; ubi vero paupertatis votum valde carpitur, si exactam vitam communem vis restaurare eamque apud religiosos hic et nunc ad illam communitatem pertinentes, non apud novam generationem demum educandam, melius et securius medium vix reperies quam peculium nostro sensu concessum, quo certius ad finem pervenias, cum disciplinae relaxatae observantiam statim exactissimam substituere teste experientia nec valeat nec expediat. Vita enim perfecte communis supponit communitatem materialiter constitutam, sc. ut singula et omnia membra de facto in communitate habitent neque quacumque ex causa necessitatis extra eandem habitualiter degant, supponit perfectos superiores, qui subditorum suorum summam curam habeant, qui „nihil, quod eis necessarium est, denegent,“ qui negotiis et curis non impediuntur, quominus omnibus eorundem necessitatibus per se ipsos occurrant, et supponit perfectos subditos, qui non ex ipsa vita exacte communi ansam sumant paupertatem religiosam graviter laedendi, unde saepius audiuntur superiores conquerentes, quod vita perfecte communis tanti constet, unde et Scherer non immerito scribit: „Minder erscheint m. E. der Armut ein bescheidenes Taschen- oder Brauchgeld zu widersprechen, welches der einzelne sich nicht selbst nehmen kann, das aber, wenn herkömmlich, vor durchgeführter Reformation ihm ohne Grund auch nicht vorzuhalten ist, denn ein schlaffes luxuriöses Leben aller auf Rechnung des Ordens.“<sup>2)</sup> Utraque ergo vitae communis forma, sive cum peculio sive sine peculio, semper est et manet primario quaestio ascetica, et a spiritu paupertatis res principaliter dependet.

Quomodo tandem peculio uti possint religiosi, quin spiritu paupertatis obtrectent, inquirunt moralistae; quatenus autem de legitimo peculio iidem iuridice disponere valeant, ex iis, quae statim ab initio diximus, desumendum est. Nam cum praeter ea, quibus licitum peculiorum usum descripsimus, ecclesia circa iuridicum eorundem usum nihil statuerit, censetur recepisse dispositiones iuris Romani, quas supra adduximus. Quaestione ergo de

<sup>1)</sup> I. p. 229.

<sup>2)</sup> IV. B. II. C. p. 825, Anm. 123.

peculii monastici licitate absoluta tantum unum adhuc corollarium practici momenti paucis restat ut consideretur, nimirum quid dicendum sit

De obligatione inducendi et recipiendi perfectam vitam communem.

Ut perfecta vita communis in monasteriis restituatur, consequenter ut quaevis in iisdem peculia tollantur, cur ecclesia ex parte ipsorum regularium exspectet, ex iis, quae de natura peculii novimus, facile intelligitur. Ecclesia autem de facto non per actum auctoritatis suae id impetrare vult, sed ut fiat, hortatur superiores regulares, quibus simul modum suadet, quo finem a se intentum attingere conentur.

„Priusquam manus operi admoveatur, ita iam Benedictus XIV, res diligenter pertententur; in primis annuus monasterii census supputetur, ut compertum fiat, an necessariis omnibus eiusdem expensis sufficiat; deinde ne minis atque terroribus, sed hortationibus et spiritualibus exercitiis revocentur Moniales ad exoptatam collapsae disciplinae instaurationem: audiantur prius omnes et singulae, non quasi ipsarum in id colligantur suffragia vel consensus exquiratur, sed ut earundem exploretur animus et deprehendatur, an et quae huiusmodi reformationi libenter acquiescant aut contra oblucentur, et quo in numero recenseantur, quae aetate aut auctoritate graviore habentur . . . Servetur itaque rerum omnium perfecta communio, ubi illa viget. Detur etiam opera, ut ubi non obtinet, introducatur, sed semper prae oculis habeantur quae plurimae sese obiciunt difficultates.“<sup>1)</sup>

Eandem obligationem superioribus imponit citatum iam decretum Pii IX, in quo haec habentur: „Il Santo Padre . . . aggiunge eccitamento a loro (superiorum) zelo affinché usino ogni cura per ristabilire in tutte le case, ove si fosse infievolita, la piena osservanza de la regola professata, e delle proprie costituzioni senza la quale non si puo nè acquisitare, nè conservare il vero spirito, da cui debbono essere informati i Religiosi.“<sup>2)</sup> Et schema Concilii Vaticani ait: „Ceterum Superiores regulares in omni patientia et doctrina, qua exhortationibus, qua suasionibus, modis omnibus pro viribus curare debeant, ut omnes religiosi etiam iam professi vitam perfecte communem quamprimum amplectantur.“<sup>3)</sup> Adde, quae supra retulimus, clarissima verba Leonis XIII et facile colliges ecclesiam peculii abrogationem superioribus religiosorum summopere iniungere procurandam. Qui quodsi vitam

<sup>1)</sup> De syn. dioec. L. XIII, C. XII n. 21.

<sup>2)</sup> Bizzarri p. 852.

<sup>3)</sup> Collectio Lacens. l. c. C. I. e.

exacte communem, ubi non est et restitui facile potest, inducere tenentur, a fortiore, ubi viget, eam servare adstringuntur, nam secundum S. Alphonsum „omnes praelati tamquam certum sibi persuadeant, quod si usum peculii in monasteriis de novo introducerent, vix nomen paupertatis ibi supererit, et ex hoc innumera mala quoad observantiam supervenirent. Quapropter etiamsi ipsi a peccato gravi excusari possunt usum peculii concedendo respectu voti paupertatis, non tamen excusantur ob regulæ relaxationem, cui hæc concessione proculdubio operam dabunt.“<sup>1)</sup>

Practice ergo hodie superioribus incumbet, ut impetrent, quod impetrare possunt: ubi vita perfecte communis restitui potest, eam inducant; ubi vero eidem inducendæ „plurimæ sese obiciunt difficultates“, prudentiam, quam S. Bernardus aurigam virtutum vocat, sequentes flectant, quod meris principiis theoreticis improvide inhaerentes frangerent: concedant, ubi vita exacte communis restitui vel institui nequit, suis subditis usum peculii, in quo tamdiu nihil illiciti neque noxii quicquam erit, quamdiu severe invigilaverint, ut subditi non utantur nisi peculio compatibili, dependente legitimisque condicionibus circumscripto. Hinc incipiant reformationem sicubi necessariam, quæ ipsis immediate incumbit exsequenda et quæ non tam ab ecclesiae decretis quam ab ipsorum superiorum religiosorum zelo et studio speranda est. Ex una enim parte verum est, quod historiam vitæ monasticæ optime perspectam habens huc scripsit Montalembert: „Die Reform der religiösen Orden steht wohl ebensowenig in der Macht der Kirche als die Gründung derselben. Die Kirche unmittelbar hat niemals einen religiösen Orden gegründet. Die Tatsache ist unbestritten. Zur Gründung eines religiösen Ordens bedarf es Männer, die Gott eigens zu diesem Zweck erweckt und bestimmt, wie Benedikt, Franziskus, Dominikus, Ignatius. Die Kirche approbiert, ermuntert solche Männer, aber durch einen Akt ihrer Autorität schaffen kann sie dieselben nicht. Könnte es anders sein mit dem Reformieren, das vielleicht noch schwieriger ist als das Begründen?“<sup>2)</sup> Ex altera vero parte votis et desideriiis ecclesiae firmis paratisque animis obsecundare superiores ne dubitent illud considerantes, quod in hunc locum notavit P. Brandes O. S. B. citatum opus in linguam germanicam vertens: „In diesen stillen Bestrebungen der Päpste (das Ordensleben zu reformieren) findet sich aber auch etwas von der göttlichen Langmut selbst, die nicht den Tod des Sünders will, sondern daß er sich bekehre und lebe . . . Ihre Verordnungen sind neben dem, was sie unmittelbar bezwecken, gewissermaßen auch

<sup>1)</sup> L. IV. n. 15.

<sup>2)</sup> Montalembert, Graf von: Die Mönche des Abendlandes, deutsch von Paul Brandes, 8 Bde. Regensburg 1868—80, I. p. CLXXVII.

ein umsichtiges Erforschen, ob ihnen aus dem Inneren der Klöster selbst ein von Gott erweckter Reformator antworte, und vielleicht beten schon längst ihrer viele in den Klöstern, daß Gott endlich einen neuen Benedikt, einen neuen Bernard, Dominikus, Franziskus erwecke, der die Reform, die ohne Zweifel schwieriger ist als die Gründung, im Sinne und im Geiste der hl. Gründer vollbringe.<sup>1)</sup>

Huic autem obligationi superiorum inducendi vitam perfecte communem ex parte subditorum respondere obligationem eandem recipiendi ita exsequitur Bouix: „Si praelati regulares et a fortiori sedes Apostolica vitam communem reducere velint et peculia proscribant, tenentur regulares huic reformationi sese submittere, modo simul ipsis necessaria suppeditentur.<sup>2)</sup> Nam ut peculium non sit voti paupertatis laesivum, omnino requiritur, ut habeatur cum dependentia a superioris voluntate . . . Sed regulares, qui peculia retinerent post decretum praelatorum vitam communem praecipiens, hoc ipso iam illa retinerent absque dependentia a superiorum voluntate: ergo votum paupertatis violarent. Et hoc bene notetur ab hodiernis regularibus vitam communem non habentibus, qui praelatis suis vitam illam communem reducere volentibus obiciunt se non posse ad id obligari, utpote qui voverint iuxta regulam moderatam, prout est in praesenti et cum usu peculiorum.“<sup>3)</sup> Haec sententia theoretice quidem vera est et ex principiorum consequentia necessario resultat, verum practice eidem absque restrictione subscribere haud valemus. Condicio enim ab ipso hoc auctore posita „modo simul ipsis necessaria suppeditentur“ de facto haud raro adimpleri nequit, quia superiores suorum subditorum in cura animarum vel in scholis vel ob quamcumque causam extra communitatem degentium necessitatibus minutissimis, contingentibus, plerumque nullo modo praevisis per se ipsos providere non possunt unde et ipsa ecclesia religiosos professos ad vitam perfecte communem amplectendam exhortatur quidem, numquam vero per actum auctoritatis simpliciter obligat: modus procedendi ecclesiae est, ut ubi vitam perfecte communem restaurare vult, regulares iam professos in observantia moderata concedente usum peculii dependentis et legitimi relinquat (Aussterbeetat) et vitam exacte communem

<sup>1)</sup> *ibid.* p. CLXXVIII.

<sup>2)</sup> Quod ni fit, regulares peculio renuntiare dicimus non debere. Etenim omnes conveniunt, quod in iis conventibus, in quibus non observatur vita communis, ob paupertatem vel incuriam superiorum subministrandi subditis necessaria, possunt concedi peculia ad nutum praelatorum. Ratio, quia Tridentinum tunc praecipit religiosis vitam communem, cum a conventu »nihil quod sit necessarium denegetur«. (S. Alph. l. c.)

<sup>3)</sup> II. p. 548. n. VII. In eundem sensum hanc quaestionem resolvit Ballerini IV. n. 118.

recipiendam a nova generatione succedente exigit. Bene ergo religiosi professi ad suam professionem provocare possunt contra vitam perfecte communem amplectendam, reformationi autem exigenti peculium legitimis condicionibus circumscribendum semper et ubique acquiescere debent.

\* \* \*

In quam partem quaestio de liceitate peculii religiosorum attentis dispositionibus iuris, ipsius rei natura temporumque indole resolvi nobis videatur, paucis exhibuimus. Peculii tamen monastici minime laudatores, sed in rem tantum inquisitores, facere non possumus, quin, quamdiu alicubi peculiorum usus necessarius erit et idealis vitae communis forma desiderabitur, hoc et fervidis solatium et tepidis monitum religiosis prae oculis ponamus, quod ita expressit S. Bernardus: „Non enim paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor. Denique beati pauperes non rebus, sed spiritu“.<sup>1)</sup> Hic saltem spiritus, quaecumque sint tempora, numquam exulare debet ex religiosorum cordibus, praesertim cum a paupertatis observantia et charitas fraterna dependeat et ordinis splendor, quod cuiusvis domus religiosae, cuiusvis ordinis testatur historia, nam

„Paupertatis amor pes fuit ordinis  
Et sublimis apex mutua charitas:  
Pes tollatur et ordo  
Toto vertice corruet.“<sup>2)</sup>

## Der hl. Bernhard von Clairvaux.

Sein Urteil über die Zeitzustände. Seine geschichtsphilosophische und kirchenpolitische Anschauung.

P. Augustin Steiger, S. O. Cist., Marienstatt.

(Fortsetzung zu Heft II. 1907, S. 346—357.)

Wenn es in der Welt schlecht steht nach Bernhards Urteil, so findet er auch in der Kirche und an den kirchlichen Dienern manches, das der Besserung und der Reform bedarf.

In einer Predigt über die Bekehrung des Saulus kommt Bernhard auf die verschiedenen Arten zu sprechen, wie die Kirche noch immer verfolgt wird, und sagt nun, die schlimmste Verfolgung bestehe darin, daß durch böses Beispiel die Seelen an ihrer Heilwirkung gehindert würden. Dieses Verbrechen

<sup>1)</sup> Epistola 100.

<sup>2)</sup> Vetus tessera Martyrologio Cisterciensi praefixa.